

CONCORSO DI TRADUZIONE DAL LATINO IN FRIULANO

XIV EDIZIONE - 2016

Sezione biennio

Metamorfosi di Ascalaf e delle Sirene

(Ovidio, *Metamorfosi*, V, 530-563)

Iuppiter exceptit: «[...] sed tanta cupido
si tibi discidii est, repetet Proserpina caelum,
lege tamen certa, si nullos contigit illic
ore cibos; nam sic Parcarum foedere cautum est.»
Dixerat, at Cereri certum est educere natam.
Non ita fata sinunt, quoniam ieunia virgo
solverat et, cultis dum simplex errat in hortis,
puniceum curva decerpserat arbore pomum
sumptaque pallenti septem de cortice grana
presserat ore suo; solusque ex omnibus illud
Ascalaphus vidit [...];
vidit et indicio redditum crudelis ademit.
Ingemuit regina Erebi (Proserpina) testemque profanam
fecit avem sparsumque caput Phlegethontide lympha
in rostrum et plumas et grandia lumina vertit.
Ille sibi ablatus fulvis amicitur in alis
inque caput crescit longosque reflectitur unguis
vixque movet natas per inertia bracchia pennas
foedaque fit volucris, venturi nuntia luctus,
ignavus bubo, dirum mortalibus omen.
Hic tamen indicio poenam linguaque videri
commeruisse potest; vobis, Acheloides, unde
pluma pedesque avium, cum virginis ora geratis?
an quia, cum legeret vernos Proserpina flores,
in comitum numero, doctae Sirenes, eratis?
quam postquam toto frustra quaesistis in orbe,
protinus, ut vestram sentirent aequora curam,
posse super fluctus alarum insistere remis
optastis facilesque deos habuistis et artus
vidistis vestros subitis flavescere pennis;
ne tamen ille canor mulcendas natus ad aures
tantaque dos oris linguae deperderet usum,
virginei vultus et vox humana remansit.